



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Sed quidsi alterius procuratorem, vel tabellarium, litteras aut mandata
alterius deferentem ad impetrandum beneficium, vel ad aliquod negotium,
detineam prætextu recreationis vel potationis, sciens ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

lis precibus, vel obsequiis aliquem avertit ab instituyendo tali hærede, aut à relinquendo legato, vel donando aliquo bono; vel qui curavit revocari testamentum, & alium hæredem institui; quia nemo habet ius ad successionem; vel legatum, quàm diu testator vivit, cum liberè prohibita imper possit revocare, & mutare testamentum. Tamen sine iusta causa aliquem à consecutione boni non debiti impedire viâ non iniustâ est contra charitatem, quâ debemus velle bonum proximo, & quæ vetat, ne alteri faciamus, quod nobis fieri nolumus.

Sed quid si alterius procuratorem, vel tabellarium, litteras, aut mandata alterius deferentem ad impetrandum beneficium; vel ad aliquod negotium, detineam prætextu recreationis, vel potationis, sciens hanc detentionem nocituram mandatario?

Resp. Peccas contra justitiam, & teneris ad restitutionem. Ita *De Lugo, & alii*: quia mandatarius habet ius, ut procurator, vel tabellarius, seu famulus, diligentiam adhibeat, & moram vitet, ad quod tenetur ex iustitiâ, & tu scienter impedis executionem, ac usum eius iuris, seu id, ad quod ille ius habet. Sed qui quovis modo, etsi de se licito scienter impedit usum iuris alterius, & id, ad quod ius habet, facit ei iniuriam, cum violet eius ius, ideóque tenetur ad restitutionem damni inde secuti. Idem dic, si famulum alterius quovis modo deti-

detineas sciens hanc detentionem causam esse
damni Domini, ad quod vitandum famulus
ex iustitiâ tenetur: nam cooperaris injustitiâ
alterius, & verè es causa moralis talis damni.

Q. 16. *An accepta ob opus malum restitui debent?*

Resp. I. Sic accepta ante opus malum patra-
tum restitui debent. Ita omnes. Quia ista non
dantur nisi ea lege, ut accipiens se obliget ad
opus malum, ad quod impossibile est obligari,
unde datio est nulla, & sic rei dominium non
fuit translatum, ex c. ult. de pactis.

Resp. II. Crimine patrato pretium retineri
potest, nisi per legem aliquam acquisitio sit
irrita, vel accipiens fiat inhabilis ad acquiren-
dum illius dominium. Ita S. Anton. Covar.
Caiet. Less. De Lugo, &c. & alii multi. Quia
1. accipiens non est inhabilis ad illud acqui-
rendum, & pretium datum est omnino volun-
tariè, non quidem ut pretium peccati, quod est
tantum conditio, sine quâ non daretur, sed ut
solutio promissi positâ conditione. 2. Mulier
potest retinere id quod acquisivit per mere-
triciam. ex L. 4. ff. de condict. ob turp. caus. &
ex S. Thom. q. 62. a. 5. ad 2. & in 4. dist. 15.
q. 2. a. 4. q. 2. si lex prohibuit actum, ex quo quis
lucrat, sed non lucrum supposito actu; tunc
quamvis acquirendo tali actu contra legem fece-
rit; tamen tenendo contra legem non facit, &
ideo hæc retineri possunt.

Ad leges in contrarium obijci solitas, dico